

3.  
sæpius carpit & emendat *Paullus Leopardus* (δ) *Erasmus Roterodamus* octo libris, alij: ne Germanicos autores attingam.

Quod si ergo in tanto precio ac singulari commendatione fuerint profana illa dictoria, immò aliæ quoq; res, ut Protei Stoici baculus atque Epicteti lucerna, (ε) de quibus inter alios laudatus *Muretus* in eruditâ illâ ad *Johannem Nicotium Gallum* de epistolis epistolâ: quanto habenda putabimus dicta sacra tum ex ipsius Spiritûs S. myrothecio, tum S S. Patrû commentationibus & sermonibus sive homilijs deprompta & selecta?

Lubuit itaq; (ac confido, licebit quoque) mihi ex melliflui illius Archimandritæ, qui turmæ Monachorum in *Clara valle* & regendæ præfuit & docendæ inservijt, quum hactenus pluribus (ζ) vicibus doctrinam sive articulum de *Angelis* repetierim, *Sermonibus XVII.* quos scripsit & habuit super *Psalm. XC.* (η) *Qui habitat* &c. strictim & σποραδην quædam enotare atque annotare, & ex *Sermone* quidem *XII*mo, ubi agit non tantum de inconnivâ, Angelorum bonorum defensionatione & custodiâ sed etiam de illo Domino, qui eampse rigide jussit & serio præcepit. Agem<sup>9</sup> itaque, quod dixi, quasi per saturam.

Ab initio Sermonis quasi per ἀνακισθαλαίωσιν meminit Dæmonum, quorum viæ sint *Præsumptio* & *Obstinatio*, quibus adjungit duas alias, *Circuitionem* & *Circumventionem* de *Circuitione* allegat *Petri Apostoli* phrasin, quâ dicit (*1. epist. V, v. 8.*) ἀντίδικον ἡμῶν διάβολον περιπατῶν, ὡς λέοντα ὠρυόμενον, ζήδοντα, τίνα καταπιῆσιν quem

(δ) Vide ipsius Emendation. lib. XII. c. eod. & seqq. in Tomo III. *Theauri Critici Gruteriani* (ε) quibus accenseri queat *Francisci cappa*, *Fortunati crumena* & *Othmari lagena* &c. (ζ) viginti puta duasque, *Vide sodes Progr. CCCXIX.*

(η) Hic juxta Ebræos & in nostris Biblijs Germanicis est *Psalmus* unus & nonagesimus. Ubi scire velim Juniores, quod LXX. Interpp, eosq; sequutus *Vulgatus* paullo aliter numerent *Psalmos*,